



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

1. Non solum in articulo mortis, sed etiam in periculo possit quis eligere Confessarium non approbatum pro omnibus peccatis, & censuris reservatis? Ex part. 3. tract. 4. resol. 71.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

RESOL. LXVII.

Sup. hoc in tom 8. tr. 1. ex doctrina Ref. 3. § 2. in principio. An quando Confessarius ex opinione probabili absolvit moribundum, possit ei absolutionem prabere sine conditione? Ex part. 3. tr. 3. Refol. 10.

* Quae hic est supra Ref. 55. §. I. Communiter Doctores asserunt absolutionem in tali casu dandam esse sub conditione; verum Vasquez in 3. part. tom. 4. quest. 91. art. 2. dub. 1. n. 39. in casu posito supra in * resol. 1. putat conditionem illam esse supervacaneam; & hanc sententiam docet etiam Sancius in selectis disp. 44. numer. 32. ubi ita ait: Sequens opinionem, posse videlicet per signa absolvi penitentem, non tene-

In indice primo hujus Tom. I. Vide Apendicem ad hunc Tract. IV. Ubi reperies alias multas quaestiones mistas, & dispersas per alios Tom. Tract. & Ref. quae simul pertinent ad hunc Tract. IV. de Absolutione Sacramentali, &c.



TRACTATUS QUINTUS, DE ALIQVIBVS RESERVATIS, atque de eorum Absolutione.

RESOL. I.

An non solum in articulo mortis, sed etiam in periculo, possit quis eligere Confessarium non approbatum pro omnibus peccatis & censuris reservatis? Ex part. 3. tract. 4. Ref. 71.

Sup. hoc supra in tr. 4. Ref. 19 & hic infra lege Ref. seq. & alias ejus primae not. & signanter infra in primis in. Ref. 7. & in tom. 3. tr. 1. Ref. 41. § Verum si aliquis, & in tom. 5. tr. 1. ex Ref. 106. § ult. a principio, & in 19. tr. 7. Ref. 126. per totam. §. I. NEGATIVAM sententiam docent Sotus, Covarruvias, Graffius apud Finellium, ubi supra, cum Cano, & Ledesma, quos citat & sequitur Joan. de la Cruz: putant enim distingui articulum mortis à periculo, ita ut privilegium eligendi Sacerdotem non expositum pro confessione, sit solius articuli, non autem periculi.

2. Sed falluntur equidem, & ita affirmativam, sententiam docet Finellius tract. de cas. reservati- one, cap. 8. num. 8. qui citat Henriquez, Abbatem, Angelum, Sylvestrum, Medinam, Victoriam, Navarrum, Philiaricum, Sayrum, & alios; unde ipsi- met adversarij hanc opinionem probabilem putant, & ideo Joan. de la Cruz in direct. conscient. part. 2. de Sacrament. Penit. quest. 5. dub. 10. concl. 2. sic asserit: Probabile est, quod qui existit in periculo mortis, potest eligere in Confessorem, etiam non expositum pro omnibus peccatis, & censuris etiam reservatis. Ita ille. Et ratio praeter alias ista erit, quia si periculum mortis ab articulo distinguamus, saepius continget infirmum inabsolutum decedere, dum Confessarius morborum inexpertus nesciat articulum à periculo distinguere ac propterea verum articulum non cognoscens, differat absolutionem, aut quia à reservatis credat adhuc absolvere non posse, aut expectare velit Parochum, vel alium approbatum Sacerdotem. Dicendum est igitur, quod mortis periculo idem privilegium tribuitur, quod vel in mortis articulo conceditur, unde ex his sequitur dubitatio.

RESOL. II.

An in articulo mortis, seu periculo possit quilibet Sacerdos absolvere ab omnibus peccatis, censuris, & reservatis?

Et an sub nomine Sacerdotum in hoc casu comprehendantur non approbati, excommunicati, suspensi, irregulares, degradati, heretici, cessante periculo perversionis, &c?

Et quid de simplici Sacerdote praesente Parocho? Et in §. ultimo hujus Resolutionis docetur, quomodo hac sententia in periculo mortis, intelligatur, Et quid, si propria sponte quis periculum mortis adeat, v. g. in bello jussu, maris longa navigatione, &c. Ex part. 3. tr. 4. Ref. 57.

§. I. Respondeo affirmativè ex Concilio Tridentino sess. 14. c. 7. cum communi Doctorum sententia, & sub nomine Sacerdotum in hoc casu comprehenduntur non approbati, & expositi, item suspensi, irregulares, degradati, excommunicati, ac non tolerati, & contra Navarrum cap. 26. m. 26. etiam haeretici cessante periculo perversionis, & ego, ut alibi dixi, puto probabiliter simplicem Sacerdotem posse in tali casu etiam praesente Parocho, à reservatis infirmum absolvere. Sed difficultas est pro praxi, quo tempore in periculosa infirmitate possit Confessarius à reservatis absolvere? Respondent DD. non esse intelligendum ultimum vitae spatium, sed quodvis etiam probabile mortis periculum. Sed haec responsio adhuc manet in generalitate, itaque Sancius in select. disp. 12. n. 5. docet absolutionem à reservatis posse impendi à prima die infirmitatis periculosa, ut doloris lateris, tabardilli, &c. Ita ille.

2. Notandum est tamen hic, quod ex Corduba Sanch. in tom. 2. lib. 2. cap. 12. n. 13. putat quoad periculum mortis hanc sententiam procedere, quando videlicet quis non propria sponte, sed ex causa urgente, seu morali necessitate coactus, tale periculum adcat.